

nobis et Romane ecclesie forsitan interim facilius firmentur, licet tu ipsius regis coronationem impedire aliquatenus non intendas. (5) Nos vero consideratis supplicatione et rationibus antedictis, priusquam super illis in concistorio cum dictis nostris fratribus deliberationem aliquam habuerimus, contenta in petitione et rationibus memoratis cum certis ex eisdem fratribus, quos honoris tui novimus fervidos zelatores, examinanda decrevimus, et licet non videamus nos et ipsi, quod sine offensione iustitie et gravi scandalo tam ipsius regis quam Romani populi et multorum etiam aliorum petitionem possimus respuere antedictam, deliberato tamen plenius consilio, prout ipsius negotii qualitas exigit, cum cetu cardinalium, nos super hiis facere intendimus, quod crediderimus Deo gratum et honori ac utilitati ecclesie Romane bonoque statui Urbis et orbis suadente iustitia viderimus expedire. (6) Premissa tamen, licet nondum precise deliberaverimus quid agendum, tue magnificentie volumus intimare. Et ecce quod, ut ipsius facti possis habere notitiam plenioram, quam plures de predictis rationibus tue celsitudini mittimus presentibus interclusas¹, volentes ut tua teneat pro certo serenitas, quod te regnumque tuum toto corde diligimus et gerimus in visceribus caritatis quodque inter te dictumque regem ac regnum tuum et suum pacem, concordiam et amorem conservare et firmare pro viribus conabimur et conamur idque speramus divina favente clementia nos facturos. Nec te latere volumus, quod nullo modo possumus cogitare, quin si ista supplicatio respueretur, preter alia pericula, que exinde possent merito formidari, quin rex ipse violenter presumeret et constanter teneret, per te fuisse hoc penes nos procuratum, ex quo posset pacis, amoris et concordie vinculum, quod inter te ac dictum regem nitimur pro viribus comfovere, disrumpi et quod absit inter te et eum magnum scandalum suscitari. Et nichilominus dubitarem ex denegatione huiusmodi verecundiam magnam pati, si absque colore iuris et iustitie, quem ad presens aliquatenus non videmus, petitionem prefatam, que iustitie videtur inniti, contingeret nos negare. (7) Sane de matrimonio contrahendo inter dilectum filium nobilem virum . . primogenitum carissimi in Christo filii nostri . . regis Sicilie illustris et . . filiam ipsius regis Romanorum nobis predicti nuntii tui fuerunt in secreto loqui. Super quo, prout eis plenius respondimus, tuam volumus serenitatem tenere,

1) Unten n. III.